

Venceslai de Konoieczko cum Mathia episcopo Wladislaviensi, super villa Celesziki, et sorte Sandiszowska Niwa, concordia.

Noverint universi presentium notitiam habituri, quod cum inter me Venceslaum de Konoieczko heredem parte ab una, et venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam Wladislaviensem episcopum parte ex altera, super hereditate Celeszie, et quadam sorte Sandiszowska Niwa nominata, orta esset materia questionis, tandem adinvicem reversus conscientiam cum prefato venerabili patre super dicta hereditate et sorte perpetuo concordavi, ipsum et successores suos quietando ab omni qua mihi seu meis liberis, ac meis successoribus super his competit, actione, renuntians controversiis quibuslibet publice recognosco, quod a felix recordationis domino Gerardo predecessore nominati domini episcopi pro predicta hereditate et sorte recepisse patrem meum Creslaum sexaginta marcas Thorunensis monete, quas pro sua ipsius captivitate assignavit. Ego etiam ab eodem domino Mathia episcopo triginta marcas dictae monete pro iisdem hereditate et sorte recepi, promittens se prefato domino Mathia et successoribus, quod si quispiam amicorum meorum seu consanguineorum dictas hereditatem et sortem evinct ab eodem, tunc ego et successores mei legitimi ad solvendas triginta marcas predictas volumus inevitabiliter obligari, sexaginta vero marcas antedictas, quae dicto patri meo fuerant prout premititur assignata, propinqui, vel quicumque

repetentes et evincentes solvere tenebantur. In cuius rei
evidentiam presentibus meum sigillum volui appende-
re. Datum in Brzest duodecima mensis Aprilis, anno
Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto.